



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XVI. De obseruantia ieiuniorum facienda tempore conuocandorum  
Conciliarvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## RVBRICA XV.

Quoniam deuotio & pulcritudo demonstratur in vniformitate ecclesiæ, quæ sub specie vnus columbæ describitur, & in confessionibus quæ fiunt publice in introitu Missæ, & alias varii perfunctorie & diuersimode confitentur, statuimus, & de cetero obseruari præcipimus, per totam prouinciam Rauennatem confessiones huiusmodi fieri sub hac forma: Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis apostolis Petro & Paulo, & omnibus sanctis.

## RVBRICA XVI.

Cum certo certius sit, quod Deus propter orationum instantiam, ieiuniorum obseruantiam, & eleemosynarum largitionem, maxime sua beneficia elargitur; etsi quolibet tempore sit pietatis operibus indulgendum, feruentius tamen hæc fieri debent tempore Conciliorum: quo scilicet tempore nos oportet quælibet Dei beneficia, gratiam & misericordiam, & in agendis directionem instantius atque deuotius implorare. Vt igitur ad impetrandum & obtinendum prædicta melius dispositi inueniantur fideles, statuimus quod quotiescumque prouinciale Concilium conuocari contigerit, omnes & singuli ad prædictum Concilium conuocati, per tres dies ante ipsius inceptionem, seu primam sessionem, plus tunc solito orationibus & eleemosynis insistentes, omnibus diebus debeant ieiunare. Ceteros vero clericos & laicos de

prouincia nostra ad prædictas orationes, elemo-  
fynas, & ieiunia, sicut possumus, exhortamur in  
Domino Iesu Christo. Nihilo minus venerabiles  
patres suffraganei per se alios hortentur ad prædi-  
cta pietatis opera, hortarique faciant suos subdi-  
tos, & induci.

ANNO  
CHRISTI  
1514.

### RUBRICA XVII.

Ad reprimendum malitiam, ambitionem & a-  
uaritiam peruersorum, & maxime communita-  
tum seu vniuersitatum, & earundem officialium,  
ac potentum aliorum, qui ecclesias, prælatos &  
ecclesiasticas personas frequenter grauare præsu-  
munt, auctoritate præsentis Concilii monemus,  
& sub pœna excommunicationis præcipimus, ac  
distriktius prohibemus quod nulla vniuersitas, nul-  
lus capitaneus, rector, vicarius, seu officialis, quo-  
cumque nomine censeatur, aut consiliarius, seu a-  
lia quæcumque persona, cuiuscumque status, gra-  
dus & conditionis existat, de cetero audeat vel  
præsumat bona mobilia, vel se mouentia, redi-  
tus vel prouentus ecclesiarum, prælatorum inua-  
dere, occupare, rapere, prædari vel tollere quo-  
quomodo, prætextu, vel quæsito colore, per se, a-  
lium, seu alios. Et qui contra fecerit, nisi infra de-  
cem dies emendauerit cum effectu, ab omnibus sa-  
cramentis ecclesiasticis sit ipso facto exclusus, vsque  
ad satisfactionem debitam & condignam. Et si  
dictam exclusionis pœnam animo indurato per  
mensem duxerit in contemptum sustinere, non sa-  
tisfaciendo plenarie de subtractis & acceptis, si